K 74480
15

P. ALEXANDRI MONTI S. I.

DE ARTE VOLANDI
DE ISTHMO PANAMICO PERFOSSO
DE AQUAE DUCTU APULO
AD POLUM VERSUS

CARMINA

— CUNEI —
EX TYPOGRAPHIA PROVINCIALI NATALIS MENZIO
A. MCMXXXIII

P. ALEXANDRI MONTI S. I.

DE ARTE VOLANDI
DE ISTHMO PANAMICO PERFOSSO
DE AQUAE DUCTU APULO
AD POLUM VERSUS

CARMINA

— CUNEI —
EX TYPOGRAPHIA PROVINCIALI NATALIS MENZIO
A. MCMXXXIII

17480.15

Due parole al benevolo lettore,

*che mi auguro, presentando alla luce del sole questi quattro poemetti latini — se così si possono chiamare, perchè, fatta eccezione del verso, non so se abbiano altro, cui quel titolo si possa debitamente applicare — i quali, se hanno un merito, è quello di aver ottemperato al saggio monito di Orazio, di tenere cioè le proprie produzioni letterarie una novena d'anni circa — **nonum prematur in annum** — nell'oscurità dello scrittoio.*

E se non fosse stata la benigna condiscendenza del P. Angelo Buttini, Rettore del Collegio S. Tomaso di Cuneo, potevano anche rinunciare alla luce medesima, ad eccezione di uno, che uscì nel 1925 in occasione di nozze, quindi in edizione riservata. Il P. Buttini pensò che questi lavori potessero riuscire di qualche vantaggio per il Collegio medesimo; e, se così è, non mi resta che di augurarmi che così sia.

*Quanto alle quattro produzioni, la prima, sull'Aviazione, è quella che già vide la luce in occasione delle nozze di un mio nipote, alle quali faceva da testimonio un suo cugino, **Medaglia d'Oro** dell'aviazione. È ora riprodotta non senza ritocchi e con qualche giunterella; non tali però da rendere il lavoro, come ora si suol dire, aggiornato.*

Il secondo lavoro, sul taglio dell'Istmo di Panama, è stato condotto su di un numero unico uscito al tempo dell'inau-

gurazione sulla stimata rivista "La Nature „. Ad essa sopratutto mi riporto per la descrizione della moria, che tanto ostacolò in principio i lavori del taglio. I sintomi e gli effetti di essa sono dati da medico pratico e competente.

Il lavoro sull'Acquedotto Pugliese basa su di un'apposita pubblicazione, e si vale pure di una relativa conferenza dell'ingegnere prof. Luigi Luiggi.

Il materiale dell'ultimo tentativo di poemetto sulla conquista del Polo è stato racimolato un po' dappertutto, ma specialmente su relazioni di viaggi polari, primi fra tutti quelli di Nansen e dei nostri compianti Duca degli Abruzzi e Cagni.

Qualcuno potrebbe desiderare delle note esplicative, ma riuscirebbero troppe e poco conformi al genere del lavoro. Senza ometterle del tutto, si cercherà di limitarsi al puro necessario. D'altra parte, se non sono riuscito a farmi capire, vuol dire che sono rimasto al disotto, e non poco, del mio soggetto; e per questo mi raccomando alla benevolenza del, come appunto l'ho chiamato, benevolo lettore.

Cuneo, Collegio S. Tomaso, 10 Agosto 1933.

P. Alessandro Monti S. I.

P. ANGELO BUTTINI

CUNEENSIS S. THOMÆ S. I. COLLEGII

INDEFESSO RECTORI

CUI MIRUM QUANTUM

COLLEGIUM IPSUM MULTIFARIAM DEBET

GRATI ANIMI ERGO

DE ARTE VOLANDI

¶

Quid valeant homines animo, quae, mente secuti,
promere Naturam compellant abdita rerum,
perspicuum est factum nostris non indice parvo
temporibus, nullos non pervincentibus ausus.
Quis neget humanas hominem transcendere vires,
velivolis ausum ratibus se credere caelo?
Quae si nota forent rerum miracula priscis,
cuius percelebris caruissent laude poetae?
Non equidem tantum possum perferre laborem,
sed quid amor valeat, bona quid praestare voluntas
possit, conabor. Dubiis sed Tu annue coeptis,
Virgo, quae gaudes prece Lauretana vocari,
quaeque novis caeli nautis es facta Patrona.

Vir, rerum dominus, terraeque marisque potitus
imperio est longe et late, sed concava caeli
nondum compactis volucer sibi vindicat alis:
omnia sunt homini, unus non est pervius aether.

Quid tamen infectum, quae non tentata relinquat
mens hominis, tantis merito celeberrima rebus?
Atque hominem tellus vidit pontusque volantem.
Sed quid non steterunt tanti tibi, Daedale, primo
ausus, et misero tibi quid non, Icare fili?
Fabula quid celat? Quis non extundere verum
ex illa valeat? Voluit gens prima parentum
quod postrema petit, vetitum conscendere caelum.
Cetera nos fugiunt, at non fugit Icarus alter,
qui pavidi cerebro conspersit membra Neronis,
tam meriti magna tangi involvique ruina.
Spectat eum populus, podio spectante tyranno,
aëra per liquidum conantem ducere cursum,
conantem domitos alis contemnere ventos.
Iamque caput supra pendebat nauta Neronis,
cum subito iacuit, podio cervice refracta.
Icarus ille magus fuit, est nisi fabula, Simo,
qui deus infelix voluit stultusque putari.

Carmine vos referam nullo tentamine victos,
sublimes animi, quibus inferiora fuerunt
quae magnae officiunt tam saepe pericula laudi.
Duplex est vobis via pertentata volandi;
scilicet aut humeros fultis velocibus alis
(unde VOLANS HOMO, namque suis sic viribus usus),
aut aliquo fabre nisis gestamine facto,
(MACHINA quippe VOLANS vulgato nomine dicta).

Te primum dicam, primus qui scriberis altum
temptavisse polum volitans, animose Peroni,
sorte sed horrifica tanto perfuncte periclo;
crura iaces fractus. Quem compare sorte secuti
sunt alii plures, vitam prae laude perosi.
Nititur, ausus idem, vanis Oliverius anglus

inceptis, miserum; vanis Allardius ille,
quem tu, magne, vides, rex o Ludovice, volantem;
sed casus similis similisque ruina secuta est.
Innovat intrepidus minimis non viribus ausum,
non impune tamen, praestans virtute dynastes.
Sequana conspexit manibus retinacula quaedam,
quae rapidos possent casus prohibere, tenentem;
in cassum: neque eum delapsum fluminis unda,
cruribus at fractis excepit subdita navis.

Alis instructus manibus pedibusque agitatis,
Besneri, primus terram de vertice tecti
incolumis tangis: non sic Desforgius, imo
pulvere qui iacuit turri delapsus ab alta.
Sufficis atque tuis coeptis audacibus alis,
o Guaniäe Pater, transcurrens aethera tutus
tecta super volitans; sed fama incerta vagatur;
nam latitant tibi quae famam nomenque dedissent.
Tu quoque Londini misere, Leturre, peristi,
aëra dum tentas elato rumpere cursu,
invento fretus, cui tu suspensus adhaerens
per vacuum posses securus pendulus ire;
sed spes illum hominem, meritum meliora, fefellit.
Orofius aptatas rursus remeavit ad alas,
sed frustra, nec enim potuit producere vitam.
Nec rota Delpratum iuvit, rapidissima quamvis,
quae simul et corpus ferret pinnasque moveret.
Viribus ingenii validis pariterque refertus
corporis, ex alto celeri capto impete cursu,
aëra captabas velis, terramque iacentem,
tramite quo velles, dextra laevaque, petebas,
remigio fretus proprio, generose Lilienthal;
et te praecipitem nisi sors inimica dedisset,

prodieras victor; res si tentata liceret.
Ast iter illud homo poterit persolvere numquam,
viribus ipse suis, certum, durabile, tutum.
Sic docti reputant, hominum sic fata revincunt.[1]

Ergo alias subiere vias aliosque labores
aut victi aut vincendi homines certamine nullo.
Panditur hinc rursus duplex ad sidera trames,
tangere quo possint metam palmaque potiri.
Aut extollit agens levius vis aëre corpus
(aëre quod corpus levius vi redditur ipsa),
aut, volucres imitans, motu tenet aequora caeli
machina, quae gravior quamvis diverberet auras,
ipsa suo celeri libratur pondere cursu.
Haec hominum mentes agitant, haec corda fatigant,
omnibus hac studiis tendunt ratione valere.
Prima cruore madent, miserum; quae coepta secuta,
non minus: illa stetit tanti res maxima rerum.

Qua ratione queat sublimis in aëra ferri
aëre res gravior, docti dum mente volutant,
quis credat tantum te solvere, aracnea, nodum?
Quippe levi fulta atque simul compagine spissa
filorum, ventis toto te pondere tradis
alta petens, praedam sic inventura cupitam
vertice nisa domus vel ramis arboris haerens.
Principium tanti inventi tibi, magne, referri
acceptum debet, Vinci; tu nempe repertor.
Te non bulla fugit calamo e sapone levata,
quem pueri flatu complent merguntque liquore;
aëre tum trepidam laeti mirantur in alto,

(1) I casi e gli uomini accennati sono storici tutti, ma non necessari ad essere partitamente dichiarati; servono a presentare i primi tentativi dell'aviazione.

Iridis adverso ducentem sole colores.
Tuque globos tenues calidoque vapore repletos
erigis atque auras compellis adire supernas.
Viribus haud aliis scandit chartarius orbis,
aëre qui fultus sublimis pensilis errat.
Hunc studio reperere suo, ostendere stupenti
prodigio populo primi Montgolferii illi,
quos natura dedit, genius, sollertia fratres.
Impositum flammis miratur Gallia follem,
ludibrium ventis forti nisi fune retentum.
Inclusus factus subiectis ignibus aër
externo levior, tendit perrumpere frustra.
Inflatur follis, turget, retinacula tendit,
scandit iter rapidus caelo et libratur aperto.
Dumque focus durat, secum quem duxit in altum,
navigat, alta tenens, dubio sed tramite, caelum.
Nam potuit numquam, quamvis ratione sagaci,
aut cursum regere aut certam contingere metam.
Unde tibi reditus, Andree animose, negati
sunt a supremo boreali vertice terrae,
ausu quem magno, sed non felice, petisti.
Sublevat interdum, quamvis tenuissimus orbis,
audaces homines, nisos pendente tigillo,
quod circum manibus sese pedibusque volutant:
tantum quis potuit propriam sic spernere vitam.
Duplex est volucri caeli per templa volatus:
aut alas agitat, ventis sibi sponte movendis,
aut motos adhibet, pansas nec dimovet alas.
Hanc homines sumpsere ducem, primusque palaestram
impiger hanc iniit mirandus Vincius ille,
viribus ingenii quo non praestantior alter.
Omnia praesensit, describens omnia; sollers

omnia temptavit, si non perfecta reliquit:
unus ni motor deerat, completa dedisset.
Aëra quippe suo gaudentem pondere sensit
prudens; quod stupeas, ipso negitante Bacone.

Tradunt Archytam manibus finxisse columbam,
aëra quae liquidum motis conscenderet alis
ipsa suis. Famam quis firmet dicere verum?
Quis neget? Illa quidem nunc exstat fabula factum.
Cum ruit ex alto corpus quodcumque, volumen
comprimit in spatium, perrumpens, aëra circum
subiectum; pressumque loco dum cedere cogit,
impulsum fertur quantum spatiatur in aura
ipsum, si planum tamen est frontisque supinae.
Nititur hac una ratio quaecumque volandi
lege, nec ars alias, alias natura secuta est.

Nec solas volucres docuit natura volare,
sed fructus ipsos, spargunt qui semina ventis,
quos helicis dotat variis atque instruit alis.
Scilicet in primis, longo Zanonia fructu,
te memorant docti, scandis quae culmina repens
arboris et soli pandis tua poma corusco.
Quae sua cum reserunt iam mitia semina ventis,
non haec attingunt subiectam pondere terram,
fulta sed appositis, mater quas addidit, alis,
alta petunt caeli, longo volitantia tractu,
ni venti subigant inceptum rumpere cursum,
aut aliquis sternat contacto corpore casus;
nempe novis fulcrum culmis quae praebeat arbor.
Nec tulit immensum caruisse volantibus aequor
ipsa parens rerum, Numen seu rectius, atque
non pinnis tantum voluit fulcire natantes,
sed dedit et pelago quamdam producere prolem

(quos exocoetos docti dixere volantes),
aëre qui volucres, gauderent aequore pisces.
Machina quae valeat, volucres imitata, volare,
motore in primis valido donetur oportet,
qui, cursum generans, perducat in aëra tutam
et toto teneat libratam pondere ventis.
Pondus enim, duplici pulsum elatumque vigore
aëris, aequatur, scandit vel vergit ad ima,
vel parilem retinet pervadens aethera cursum.
Haud aliter pueri cervos fecere volantes,
quos dicunt, filo elatos cursuque trahentes,
assiduis superas captant dum saltibus auras.
Ast ut homo tanta possit clarere palaestra,
quid non mente movet, quae non tentata relinquit?
Mens leges reperit, finit res calculus omnes,
omnia victa cadunt iam quae conata retardant.
Machina conficitur summo compacta labore,
impensis summis, cura studioque supremo.
Tum virtus hominis, nullo conterrita casu,
omnia pertentat, nullo summota periclo.
Sed variis ivere viis, helicopterhos unde
prodiit et pariter magnis orthopterhos ausis.
Illi per caelum volucrum non more feruntur,
quippe suis studeant helicis sufferre volatum;
hi vero, qui nempe volant plaudentibus alis.
Re tamen infecta; certo donec indice victrix
obtinuit caelum longe lateque per orbem
machina, quae volucrum planos imitata volatus,
est, simplex, monoplana; duplex, biplana vocata.
Non alas adhibet valido haec motore movendas,
una sed aut duo habens infra tabulata supraque,
radit iter celeris domitis atque imperat auris.

Insidet impavidus domitatque volatile monstrum
navita quisque suum, doctus contendere cursu,
doctus adire plagas caeli doctusque reverti.
Ante solo graditur, mox sese attollit in auras,
exilit in spatium, rapide fugit ora videntum,
« mobilitate viget viresque acquirit eundo ».

Machina quae reliquas valuit devincere cunctas,
has habet in primis partes, hoc corpore constat.
In medio motor, sedes, res ignibus aptae
(motus enim rapitur, motus viget usque calore)
exiguo spatio sunt, quaeque manubria navem
aëriam ductent: dextra laevaque patescunt
quae tabulata regant, aut bina aut singula, totum
et volucrem tantam decorent constantibus alis.
Ante gubernaclum est (sunt et qui pone reponant),
machina quo possit sursum ferri atque deorsum.
Est opus atque alio, navis quo ducere cursum
hac illac valeat, tendit quocumque voluntas
rectoris, subigunt varii seu tendere casus.
Ast helicis fertur, quae ipsae motore feruntur,
machina tota, velut motantur in aequore naves,
scilicet ut possint obstantes rumpere fluctus.
Additur et reliquis qui vis generator habetur
quique tenet validis clausum visceribus ignem.
Ut volucres pedibus, fulcris consistat oportet
machina quaeque volans aptis, aptisque rotarum
lapsibus, ut primum valeat sibi quaerere motum
perque solum rediens tuto deponere vires.
Addita quis credat tanto quoque lumina monstro,
ut possit noctu, possit seu nube volutum
et retinere viam et certam contingere metam?
Quod fieri sonitu potuit, quem sucina produnt.

Sentit enim variis instructus navita rebus
(illa potest, audit quae vis electrica, tantum)
qui sonitus recte ad se quique oblique ferantur,
unde valet certo protendere tramite cursum.
Nulli si sonitus, nullis erroribus itur,
linea nam media intento percurritur axe.
Nec minus advertit cadat an sublime feratur.
Sic legi; dicant num sint ea vera periti.
Qui bellis adhibet, belli simul instruat armis.
Quae gens tam pulcris renuit non barbara coeptis?
Quae non contribuit studium fugitve laborem?
Tu tamen es certa melius ratione secuta
inceptas, America, vias; tu laeta triumpho;
nempe tui primi merita nituere corona.
Gallia non cessat, trepidat Germania pollens
viribus (heu quantum bello nunc fracta tremendo;
victa tamen caelo numquam, terrave, marive:
sola fames potuit tantam pervincere gentem),
quaerit quae sapiens studiis excellere prima,
Anglia si toleret, terra pelagoque superba;
cur non et caelo, quando via strata patescit?
Non desunt animi et vires nummique redundant.
Belgica sublimi, generoso Hispania ductae
instinctu, nitidam celeres subiere palaestram
et meruere decus; multa et retulere Batavi.
Nec sane insistis tardo vestigia gressu,
Italia, inventis numquam non inclita fautrix.
Fervet opus studiis, surgunt certamina, splendet
virtus; quae quando non est madefacta cruore?
Cui debet victrix eventus machina tantos?
Fratribus eximiis Wrigtis, qui coepta, Lilienthal,
tres tua sectantes annos factisque probantes,

Oceani in vasta Atlantis regione latentes,
et studuere cati et tandem didicere volare.
Sed non ante queunt certo se credere caelo,
addita quam reliquis est tandem machina pellens:
omnia succedunt uno motore reperto.
Surgunt tum rapide toto certamina caelo:
artem sensit homo se tunc reperisse volandi.

Res animos movit. Coepit Dumontius ille,
tanta qui potuit volitans excellere laude,
sed melius doctus meliore nitere palaestra.
Finxerat hic fusi formam referentia quaedam
corpora, quae leviore aura tumefacta vapore,
aëris ipsius vi compellebat in altum,
insidens ipse, et cursum motore regebat.
His fretus pretium tulerat, qui turre voluta,
vertice quam summo ad caeli Eifel sustulit astra,
certus inisset iter volitans primusque redisset.
Nec minus interea rem pertentabat eandem
egregius studiis animoque Lebodius acer.
Sepositus villa caris nec visus amicis
hic durat patiens operis nec curat opimas
fundere divitias, certus discedere victor.
Quae via posterius, capta meliore, relicta est,
nec tamen in cassum tanti cessere labores.
Follis enim tumidus, cursum motore regente,
naviculam cepit, plures quae pendula posset
ferre viros: dicunt frenatos nomine folles.

Haud aliud dimensus iter tua monstra tulisti,
Zeppelin, immensos, bellum quibus utitur, orbes;
nec bellum tantum, populi si pace quiescant.
Non te, magne, labor, non res immensa fatigat,
non dubiae sortes, non clades maxima terret.

Horruit ille videns conflata volumina rumpi
praecipitique lacum gremium praebere ruinae,
ac doluit socios indigna morte peremptos.
Non tamen inceptis voluit desistere victus,
factus inops quamvis. Tum vero natio tota
nobile portentum collato suscitat aere,
pervolat et tandem fatalis machina caelo.

Heu quantum cladis, fuerint si bella, timendum
pestibus ex illis! Per tetra silentia noctis
irrumpunt celeri titania monstra volatu
terrificoque movent pulsantia corda pavore,
ordine, ceu classes, alto labentia caelo.
Quid poterit tantis urbes prohibere periclis?
Heu rerum quantas edunt hominumque ruinas,
quas plenas fundunt igne explodente sagittas!
Proxima prima tuis moerebis, Gallia, terris;
nec minus horrebis, subito concussa tremore,
Anglia, dives opum, nullo at tutamine freta,
si quid de caelo volitantia monstra minentur.
Tranabunt vetitos nulla formidine fluctus
aëriae classes, orasque sinusque replebunt
ignitis iaculis, ictu gravioribus ipso
fulminis et rerum longe graviore ruina.
Impetit et magnas immani vulnere naves
ignea vis iaculi, rumpit pelagoque resolvit;
unda tegit, sorbent furiato vortice abyssi.
Nec possunt ipsae tantum vitare pericli
urbes, quae terris pariter, quae litore prostant.

Nec pelagus propria caruit ratione volandi
atque simul validis rumpendi stagna carinis,
si res conducat casusve impellat iniquus:
tantum mens potuit rebus clarere repertis!

Hydrovolans dictum non apto est nomine monstrum,
aëre quippe volat, contactum navigat aequor.
Navigat abiiciens fulcrum lapsusque rotarum,
assumitque quibus pelagi libretur in undis.
Hibrida res voluit mixta quoque voce vocari.
Perferet immensas terrae pelagique petentem
te, Pinedo, plagas primis haec machina coeptis,
incolumem et caelo perfunctum mille periclis
restituet patrio, tanto plaudente triumpho
Italia tota, totus quam suspicit orbis.
Sed tempus veniet, capiens cum, magne, volatum,
ipsius absumptus flammis volitantis abibis.

Sed quis post alios referat celebretque triumphos,
Italiam summo decorent qui semper honore?
Te, duce, Balbe, prior pelagus tranavit Atlantis
hydrovolans classis; facinus post ausa supremum,
navibus atque viris duplex, terraeque marisque
immanes superat tractus, tam tramite certo,
omnes ut studium mentis mirentur et artis.
Scilicet haud homines ducit temerarius ausus,
consilii sed plena est, quamvis audacia tanta.
Nec Deus incepto, fieri velut ante solebat,
est absens, prece quem summus vocat ipse Sacerdos.
Si numerum vis scire, duas tulit illa decemque
naves; viginti quatuor fuit altera classis.
Quae prima Oceano classis se credere Atlantis
est ausa aëria, ad te, magna Brasilia, venit;
altera per mediam volitans te, Europa, petivit
litus, Hibernia, tuta tuum, tetigitque subinde,
quae fuit antiquis nigrescens ultima Thule.
Et petit inde tuas terras, America, per aequor,
tramite contingens, quo non longinquior alter.

Non datur incolumi toti remeare cohorti,
namque est, heu miserum, sociis privata duobus,
quos doluit vita in tanto excessisse triumpho.
Nec tamen illustri, meriti, caruere decore:
Italiam tali cinxerunt namque corona,
cui non invideat terrarum natio nulla.
Proposito pretio, volitans qui scanderet Alpes,
ferrea qua, montes fodiens, via strata patescit,
Helvetios iungens Italis, dant nomina septem
velivoli nautae coepto, sed quinque recedunt.
Sunt reliqui duo, quos ambos, America, tulisti,
quique die posito veniunt certare parati.
Apparet volitans sublimis in aëre primus,
sed montes infra, nive tecta cacumina; venti
adversi reflant, cogunt desistere victum.
Excipit alter iter totis et viribus urget,
sed studio in cassum videas gestire petendi
culmina, quae dicas ipsum pertingere caelum.
Nec reliquis iubeas alios renovare diebus
conatus, adeo venti dominantur iniqui.
Illuxit tandem certaminis ultima pactis
facta dies. Solis radiis non splendida fulget,
non magnae apta rei. Restat Chavetius unus:
alta petit volitans, visus animique sequuntur.
En superat montes flectitque cacumina victor.
En petit Italiam; turbis iam visitur inde
machina summa tenens nigroque simillima puncto.
Et iam flectit iter, maior maiorque videri
incipit et rauco sonitu iam verberat aures.
Plaudit ovans fremitu tanto iam turba triumpho
victoremque suis ad caelum laudibus effert.
Ille, vigens animo, toto sed corpore fessus,

radit iter rapidus terrae metaeque propinquans.
Sed quae non possunt mortalia facta fatisci?
Ultima dum tranat volucri caelestia cursu
aequora, nimbosos subter confligere ventos
sensit nec potuit subitam superare procellam.
Volvitur, infandum, contorto vortice victa
machina ventorum, saxis allisa soloque.
Fragmentis premitur, confractis cruribus, heros
aëriae navis, ruptis et frangitur armis.
Curritur, extrahitur; recreant solantia verba.
" Gauderet palma, totus cui plauderet orbis;
gauderet pretio: quid enim superesse triumpho? „
At miser, intendens oculos plaudentis in ora,
" me spectant homines, ais? mihi plauditur? inquit;
ast ego disperii. Quid me terrena movere
iam possunt, aeterna cui sunt proxima? Num quis
est praesens, possit qui me recreare sacerdos
illis subsidiis, quae sunt solacia mortis? „
Curatur miser, at vita est decedere adactus.
Ille pia tantum cumulat sed morte triumphum;
namque vocatus adest praebet qui sacra sacerdos.

Apparuit primum cladis mortisque ministra
machina fatalis Libycis sublimis in oris,
coeperunt Itali Turcis cum bella movere,
ignarosque dedit subitis terroribus Afros.
Nec miseri possunt ulla ratione reniti,
aut saltem capiti tantam depellere pestem.
Discurrunt trepidi, subeunt munimina frustra
infelix vulgus, caeca formidine captum.
Insequitur toto discurrens machina caelo,
terrificans sonitu, complens res caedibus omnes.
Et Ligur ille fuit primus qui tela profudit

ignea velivolans, clara de stirpe, Gavotti.
Numquam post illud cessavit tempus iniquis
perrumpi caelum iaculis, furiante procella
bellorum, totus quibus illico inhorruit orbis.
Quid non tanto odio, tantae succumberet irae?
Et pereunt homines, pereunt pulcerrima quaeque,
urbes quae decorant, patrum monumenta priorum.
Non ars, non pietas, non ipsa sacrata domorum
religio servat: furiosi hinc inde profundunt.
Eminet at virtus crebro, nec semper inulta
crimina tanta manent: quamvis immunis ab illis
quis fuit offensis, pleno quas improbat ore?

An memorem, Gabriel, primum Tergeste superne
de bello monitum a te velivolante relatum?
Nec minus impavide volitas per tecta Tridenti.
Ast oculum, temere ad terram remeare coactus,
offendis, vitias, cura amittisque neglecta.
Pola tamen sensit, Catarum Bucarumque volantem
Austriaco et pretio pendentem digna cachinnis.
Omnia sed superat mirus tuus ille volatus,
pacificis tonuit quo bombis aethra Viennae.
Ignea namque rates tela haud torsere volantes,
hostibus at pavidis hilarem misere salutem.
Non pueris inferre Italos, non matribus arma,
non senibus tandem memorant, monitosque relinquunt.

Dum socios ductas, Erneste Cabruna, volantes,
si quid ab hostili pandatur parte pericli,
en subito cursum flectis comitesque relinquis,
solus discurrens, nulla formidine captus,
quin etiam cupiens aliquod discrimen adire.
Ecce autem rapido contra contendere cursu
aëria hostilis classis, quam navita ductat

strenuus in primis, rubro distincta colore
machina ut ostendit, multae quam hinc inde sequuntur.
Nempe decem mediam naves cinxere minores.
Quid faciat solus? Fugiat quaeratque salutem,
an demens adeat malitque capessere pugnam?
Cum videt alatas classem convertere proras
Italiam versus, succurrit vasta ruina,
mors miseris instans, luctus rerumque labores,
nec dubitat violens impar certamen inire.
Incursat fidens animis atque in utrumque paratus,
seu prohibere viam, seu certae occumbere morti.
Advertunt hostes hostem, quem mente putantes
captum (non aliter cum tot confligere vellet),
non dubitant meritam dementi afferre ruinam.
Et vires acuunt; tanta at virtute repulsi
sunt qui secedant, addentes ignibus ignes.
Conseritur pugna intento volucrique volatu,
dum crepitant caelo, ceu plumbea grando, corusco
ignitae glandes, cladis mortisque ministrae.
Fervet pugna ferox artes splendentque volandi.
Contendunt multi, multis sed praevalet unus.
Ictus enim, praeceps caelo devolvitur ille,
maxima quem medium ductorem machina vexit.
Fit fuga. Dum trepidos pergit propellere victor,
tres simul illati pugnam renovare videntur
velle boni, primo sed mox certamine cedunt.
Insequitur victor, tanta tum clade repulsa
finibus a patriis, tanta sibi laude parata.
Macte nova virtute puer, pro talibus ausis
AUREA diceris praeclaro nomine BULLA. (1)

(1) È un fatto « incredibile ma vero ». Ne fece una briosa narrazione Ugo Fischetti dal titolo " Uno e Undici „ in un numero de " I Racconti dell'Aquila d'oro „ della Biblioteca

Sed nunc bella tacent, animi nunc pace quiescunt;
atque utinam semper, postquam subscripta fuere
quae quatuor sanxere inter se foedera gentes,
auspice qui Italiam tanta virtute gubernat
quique meret vere Benedictus nomine dici.
Quae nova visuri nostri sunt monstra nepotes?
Quae rerum fiet tantarum meta suprema?
Non ego qui dicam; cernent sed mira nepotes.
Omne feret punctum volitans tum machina demum,
cum celeres, certos tutosque per aequora caeli
conficiet cursus etiam motore relicto.
Iam primos dubios movit sollertia gressus,
sed nil conficiet. Volitans motore relicto
machina res iaceat nulla iam praedita vita.

*
* *

Quae potui cecini, restant at plura canenda.
Non me namque fugit, rem prodigialiter amplam
me, licet intentum, summis libasse labellis.
Ne me, docte, legas, quaeso, rerumque perite
tantarum; aut veniam certe concede petenti.
Quae retuli, primus retuli fortasse latine;
si tamen hoc operis non sum molitus inepte
carminibus, quantum imprudens permisit Apollo.

dell'Istituto Nazionale di propaganda aeronautica. Roma. Si tratta del capitano di aviazione Ernesto Cabruna di Tortona, quello che, avendo fatto da testimonio alle nozze di suo cugino l'avv. comm. Benedetto Ferretti, rese non inopportuna la prima pubblicazione di questo lavoro. È egli doppiamente " Medaglia d'Oro „ sia per parte del Governo, sia per atto di Gabriele d'Annunzio, il quale, il 12 settembre 1927, gli rimetteva il seguente diploma, di cui è riprodotto l'autografo in "Fiume„ 10 Gennaio 1921-23 Marzo 1922, pubblicazione (Tip. C. Zizzini, Montegiorgio – Marche) dello stesso E. Cabruna nel 1933. (V. p. 26).

REGGENZA
ITALIANA
DEL CARNARO
Quis contra nos?
IL COMANDANTE

Oggi, nell'ottavo anniversario della Marcia di Ronchi, io conferisco la Medaglia d'oro al mio Legionario Ernesto Cabruna già mio glorioso compagno d'ala nella Terza Armata.

Egli fu il primo aviatore giunto in Fiume da me occupata.

In qualità di mio Ufficiale di collegamento, in qualità di Addetto agli affari segreti, rese grandi servizi alla Causa.

Obbedendo a miei ordini ben determinati, egli rimase in Fiume dopo il " Natale di sangue „.

Mi rappresentò nobilmente e sagacemente nelle trattative per la evacuazione del Porto Sauro.

Infine diede compimento all'impresa che gli avevo affidata, conducendo l'azione del 3 marzo 1922, come Capo del Consiglio militare, e secondando così quella Annessione che pur dovrà necessariamente essere allargata per tutte le Alpi Retiche e Dinariche.

Dal Vittoriale: 12 settembre 1927.

GABRIELE D'ANNUNZIO
DI MONTENEVOSO

DE ISTHMO PANAMICO PERFOSSO

¶

Qua nova pars mundi magno detecta Columbo,
qui Genuae natus Genuam perfundit honore,
immensum medio sinuatur litore in arcum
perpetuisque iugis arx munitissima surgit,
quaque duplex pelagus contracto tramite partit,
Pacificum dextra, tendit perrumpere laeva
viribus immodicis aequor, cui nomen Atlantis,
ac si pontus uterque velit coniungere fluctus.
Frustra, nam validis obsistit molibus isthmus,
non spatiis amplus, celsis sed rupibus asper.
At cupiunt homines aequor tamen inter utrumque
pandere iter ratibus cursum et breviare marinum,
qui totam debet te nunc, America, subire.

Ast isthmum fodiant homines? Conamine quonam
naturam cogant audaci cedere coepto?
Atque isthmum fodit, devicit ferrea claustra
mens hominis, tantas ausi sibi ponere metas:
nonne vides dominum terraeque marisque polique?
Saepirent nostrum, cingentes undique, terrae
diversae pontum, ratibus nisi transitus esset
qua Africa pene suas sociant Europaque terras
quaque fretum dirimens pelagus coniungit utrumque.
Quid rupem memorem Calpen Abilamque columnam
viribus Herculeis positas, ut fabula narrat?
Quamquam quid prohibet portendere fabula verum?
Scilicet herculeas naturae fabula vires
edocet inmensam potuisse refringere molem,
Europamque modo Libya seiungere tali,
quo potuit siculas italis divellere terras.
Ast alius septem Nili sub faucibus isthmus
eminet invisus, prohibens hinc inde refundi
aequora confinia atque ultra procedere naves.
Hunc primum fodere manus, hic primus apertos
disparis oceani vidit concurrere fluctus
navibus et tribuit pelago dare vela patenti.
Tum vero immenso est breviatus tramite cursus
atque tuae faciles cesserunt, India, terrae,
ante per immensos tractus fluctusque petendae.
Quis tantum perfecit opus? Quis claustra refregit,
quae superare hominum tot iam per saecula vires
non ausae, naves alio convertere proras
ferrea cogebant longum et producere cursum?
Immanem quamvis valuit superare laborem
Gallus homo, tantis se ausus committere coeptis
primus et illustri frontem redimire corona.

Non tamen infitier clarus quod Livius edit,
leucadias oras oris haesisse propinquae
iam terrae, ut fuerit Leucas paeninsula quondam;
sed fauces hominum manuum cessisse labori,
ut sit tota maris Leucas circumdata fluctu.
An memorem ratibus montes aliquando reclusos?
Viscera sensit Athos Xersis dirupta furore,
qui pelagus pedibus, ratibus transmittere terram
insanus volüit. Fuerint quae maxima coepta;
sed tamen immensum praestant nova facta vetustis.
Sed quae te rerum cepit fidentia tanta,
Lessepi, ut velles illam refringere rupem,
Pacifico a pelago pelagus quae partit Atlantis,
fluctibus et terrae tantum mersare marinis?
Nonne vides ausus hominis transcendere vires?
Naturae victor, noli contemnere victam,
ne te forte novis adigat desistere coeptis.
Inter eos vastos, ingens America, recessus,
immensis ditant sinibus qui litora circum,
apparet minimus tractu Panamicus isthmus
atque brevi spatio fluctum secernit Atlantis
Pacificique maris. Tractus tamen arduus exstat,
quem montes superant, findunt quem fluminis undae,
infestat stabilis corrodens corpora febris.
Sed quae iam nostros homines obstacula terrent?
Pectora quid moveat quidquid tentare parata,
inceptis postquam cessit victoria tanta
iam primis, nullis non aequiparanda triumphis?
Res erat haud primis animi tunc subdita curis;
Quintus enim Carolus claustrum removere parabat
inter utrumque mare: insanum tunc temporis ausum;
sed quod deseruit virtus minus apta Philippi.

" Cur faciant homines, inquit, quae infecta reliquit
ipse Deus?„ Minime scite, ut patet, ille iocatus.
Sed postquam est mire fossus Niloticus isthmus,
res iterum coepit mentes animosque movere.
Idque fuit dubium, coniungeret aequor utrumque
aequilibri perfossus fundo hinc inde canalis,
an potius totum percurreret editus isthmum,
non pelagi completus aquis, sed fluminis undis,
aequoreus ceu pons, aptus transmittere naves.
Quae res consiliis unis agitata resedit
primum; sed studiis repetita novis animisque
fortiter arripitur, dubiis metibusque relictis:
tanti animos operis cepit fiducia tanta.

Quaeruntur socii, stips et iam cogitur ampla,
divite non cumulata magis quam paupere censu;
non tamen ut valeat tantum persolvere pensum,
cum tot praesertim rivos distracta sequatur.
Sunt qui namque suis extollant laudibus acta,
sed sibi si laudes multum referantur in aurum.
Quid quod, sublatus rebus levitate secundis,
non meminit victor quantum sibi calculus ille,
quem nunc ingratus vix fastidire videtur,
straverit ante viae: sed non spernetur inultus.

Iamque manus operi collectis admovet armis
vis ingens hominum, grandi devota labori,
nec tamen immitis caeli submota periclis.
Subruta prima cadunt, operosa patescere fossa
incipit inque locis multis perrumpitur isthmus;
tuque, Culebra, petis alto qui vertice nubes,
audaci infringi sentis tua viscera ferro,
ignea quae magno pulvis perrumpit hiatu.
Sed pereunt plures; febris bacchatur ubique,

quam dare nulla valent artis medicamina victam.
Fervet opus tamen; excipiunt nova corpora pensum;
succumbunt pariter, pariter moritura sequuntur.
Aut vitam longa confecti tabe relinquunt,
aut subita miseri correpti febre fatiscunt,
ipsi operi intenti, dum dant vel iussa capessunt.
Ex tribus, infandum, patria carisque relictis,
qui validas tanto vires vovere labori
corporis, ingenii, vix forte superfuit unus.
Rectores operum quos non confecit iniqua
vis morbi, causis qui grassabatur opertis?
Sed reliquas operas qui non tetigere dolores,
cum tanti subito est operis celerata ruina?
Hi numquam patriam sociis petiere relictis,
sed sibi commissam tenuerunt mordicus arcem.
Non nati poterant morientes frangere pectus,
non uxor, fatis adamans sociata mariti:
fortes perstabant animis operique vacabant.

Sed dum fervet opus manuum mentesque laborant,
qua ratione queant diram depellere pestem
quaque sibi melius valeant commissa patrare,
vox resonat subito: " Vestras fortuna fefellit
spes omnes, miseri; duris desistite coeptis
atque alio vitam sibi sustentare labore
quisque paret, patriam nisi malit adire relictam ,,.
Nempe ruit, subito ceu terrae quassa tremore,
illa parum solidis moles innixa columnis;
ceu quando, effossa extento fundamine terra,
contegit alta ruens homines hominumque labores.
Sed quae tanta fuit provectis causa ruinae
iam rebus? Quinam casus vel culpa dolenda?
Deficiens contrivit opes aes aere paratas.

Prospera conlati fuerat conditio numquam
aeris, credenti populo sed verba dabantur:
" Cedere felices ausus fierique secundos
progressus operis, faciles succedere nisus;
maxima sperari posse et quam proxima lucra,
si modo perstarent operam conferre labori,
qui, patriam ditans, patriam sustolleret astris „.
Talia verba quidem, fuerant non talia facta;
unde oculis tandem verae patuere lacunae
cessaruntque statim argenti decurrere rivi
nec quidquam valuit vastam prohibere ruinam.

Quis meminit vestri, miseri, qui fracta labore
corpora iam geritis? Sanis aegrisque petenda est
patria quam primum, tristi statione relicta.
Quod si vos tenuit rerum fiducia tanta,
immemor ut vestrum fuerit quis forte futuri
nec possit pauper natale revisere tectum;
si remanent vires, maneat, si firma voluntas;
sed vos qui misere pactis emungat iniquis
non deerit, lucro solitus postponere cuncta.
Diffugiunt omnes, restant deserta locorum
et quibus est clades rerum quaecumque lucrosa:
mortua non aliter depascunt viscera corvi.
Deficiens contrivit opes aes atque minuta
prima fides operis, primus calidissimus ardor.

Ecce iacent totum hac illac deserta per isthmum,
annos non paucos, magni instrumenta laboris,
turpi oppleta luto, scabra rubigine laesa,
omnimodis pene herbis virgultisque sepulta.
Quis siccis oculis poterat prostrata videre
tanta manus opera, intento suscepta calore,
viribus indomitis multos producta per annos,

consita corporibus, nedum sudore rigata?
Ast operis tanti non cura relinquitur omnis,
sed quae infecta iacent studii sunt causa renati.
Monstrant suscepti fieri bene posse labores
iam reliquos, operi et tanto circumdare sertum.
At num forte queant alia ratione patrare
illud opus reputant studiisque requirunt.
Atque illa est melius monitis nunc fossa relicta,
isthmum perpetuo foderet quae ducta canali,
ad libram immittens undas hinc inde marinas;
et placet elatam mediam tentare lacunam,
quae vix ex toto minuens fundamina fossae,
expensas operis minuat minuatque laborem.
Dumque novat vires effervens gallica virtus
atque manus operi iam iam positura Culebram
impetit indocilem, surgens America repente
excipit illud opus magnis et viribus explet.

Sed non saxa tamen, non ipsa cacumina summum
opponunt obicem coeptis tam grandibus: una
semper obest causa: illa febris, quae flava vocatur.
Corpore iam toto furialis pestis oberrat
ante duos quatuorve dies, nec noscitur aegro,
qui pergit vires operi conferre supremas.
Fervida tum subito quatiuntur membra tremore
atque caput misero flagranti dissilit aestu.
Ambo dolent oculi, lassis iacet artubus aeger,
renes praesertim morsu cruciantur atroci,
ut videantur acris percussi verbere virgae.
Interea ille calor cedit totusque residit,
qui primus monuit contactum peste dolentem.
Nulla quies aegro, foede tumefacta gerenti
ora, cutem rigidam, suffossos sanguine visus,

gingivas tumidas, infecto vulnere laesas,
albentem linguam, incensum fervore palatum.
Saepe vomunt miseri, vomitu qui dicitur atro:
emittunt primo bilem, tum plura sequuntur
atra, nigrante magis semper distincta colore,
scilicet infectum stomacho emittente cruorem.
Tertia cum venit lux, tum fit lurida pellis,
semper in obscurum sensim vertente colore;
nec mors aegrotos ultra plerumque moratur.
Ternam post lucem cessant aliquando dolores,
absistente febri: melius sibi iam esse putanti
spes redit infirmo, semper nec vana fefellit;
at plerosque tamen, paucis suspensa diebus,
aut etiam nullis, misere mors conficit aegros.
Nam, redeunte febri, redit et sociata malorum,
aegrotum cruciant solito quae more, caterva,
pelle nigrante magis: mens debilitata fatiscit
vitaque membra fugit summo iam mersa sopore.

Multa student medici quae sit fera causa malorum,
quae medicina queat tantam depellere pestem;
in cassum: morbi ratio non suppetit ulla.
Omnibus est igitur tanti teterrima origo
visa mali regio, sectus qua tenditur isthmus,
ipsa, nec infami posse illa peste levari.
Inde lues toto terrae vix orbe vagari
coepit et immensas funestas reddidit oras
vastavitque plagas, exhausit civibus urbes.
Antillis tactis, novit Brasilia morbum,
Africa novit, ubi mansit pandemia pestis.
Post Asiam tetigit, pervadens litora circum
praecipue, unde tamen propere huc illucque meavit.

Nec fuit immunis tantis Europa flagellis
ipsa, minus quamvis tellus subiecta calori;
quim immo Italiam tetigit pupugitque Labronem,
Gadibus adveniens, multos et dira peremit. (1)

Tempore iam multo medici caelumque solumque
et quae de calida consurgunt putida terra
incusant; tamen haud cessant exquirere causam,
qua possit tantus membris inolescere morbus.
Inventum tandem studiis operaque Cubani
est medici, cuius semper benefacta manebunt,
si tamen in libris nequeas et legere nomen.
Ergo causa culex, doctis quae dicta calopus.
Inicit haec pungens quo est ipsa infecta veneno,
cuius adhuc latitat quae sit natura veneni.
Bestiolae at certe morbi sunt causa maligni,
quas microbos dicunt, minimo sed corpore, tantum
ut fugiant oculos ope quamvis artis acutos.
Qua re vel tectis arce, vel confice leto
pestiferam culicem: morbum cessare videbis.
Retia defendunt apte circumdata tectis,
conficiunt olea umori superaddita iniquo.
Hoc medicata modo, tantorum causa malorum,
isthmi, quod stupeas, regio sanissima facta est.
Quae detecta decem annis si res ante fuisset,
Gallia, quae tanta incepit, perfecta dedisset.

Pergunt interea magnae procedere fossae,
isthmum per totum longe lateque patentes.
Mordet enim terram, mordet detrita iugorum

(1) Il fatto doloroso avvenne nel 1804, quindi assai prima del taglio dell'istmo (1881-1912), e l'epidemia livornese fu descritta da G. Tommasini: su 2000 colpiti ne morirono 700. – Livorno è detto *Labro* o *Labron* da Cicerone (*ad Quint. fr.* II, 6), il quale, parlando dello storico L. Lucceio, che da Roma doveva imbarcarsi per la Sardegna, scrive: « Erat autem iturus, ut aiebat, a. d. III, id. Apr., ut aut Labrone aut Pisis conscenderet ».

machina, quae magnis operi cochlearibus instat,
ignea cum rupit grandi vis saxa fragore,
quae valet et duras frangens discindere rupes.
Pendula quae terrae remanet pars, subruta quamvis,
quaeque potest homines subito convolvere casu;
hanc deicit prompte violens coniectus aquarum.
Iamque sinus aperit vastos hinc inde Culebra,
maxima quae est semper moles obiecta labori.
Quid restat? Ductis undas inducere fossis,
ut valeant naves isthmum percurrere totum
et pelagus pelago celeri contingere cursu.

Amnis erat, tumidis qui nunc ditissimus undis,
paupere nunc isthmi percurrit flumine campos.
Hunc operosa tenet moles clauditque fluenta,
prodiit unde lacus, qui vasta per arva refusus
isthmi perpetuo ditaret flumine fossas,
ne sibi commissas deponeret unda carinas.
Quod vero certis exundat mensibus amnis
imbribus et subitis vim prodigialiter auget,
seu lacus ut nimias posset diffundere limphas
provisum, sive ut semper vis esset aquarum,
qua naves possent tutum transmittere cursum.
Quod si casu aliquo minuatur limpha canali,
e pelago duplex undam tunc antlia sorbet
haustibus immensis, lacui quae damna rependat.

Qua fluvius pelagi rapido petit aequora cursu,
collibus excedens, ibi sunt superaddita claustra.
Egesta terra fossa ductaque profunda,
sunt solide tandem fundamina coepta reponi.
Saxa locant primum longo cumulata labore,
longa vecta via, latus ut firmetur utrumque.
Argilla in medio mixta densatur arena,

quae solidum faciat nec aqua penetrabile stratum.
Immensum spatians sensim tenuatur in altum
immanis moles, qua non est amplior ulla.
Ut vero undantes possent erumpere fluctus,
quos fluvius lacui nimios immitteret alto,
faucibus est factum, facili quae vecte reclusae
flumina plena vomunt, late resonante ruina.

Perfectum quod opus preaclara inventa coronant.
Ut summam possint illam contingere fossam
e pelago naves, tantum conscendere nempe,
atque inde emenso rursus descendere cursu,
quo pacto factum, videam num dicere possim.
Utraque pars pelagi, perfosso tramite, tractu
excipitur terrae longo, quo tramite naves
principium superi attingunt hinc inde canalis,
undis quem reliqua effecit pars edita fossae,
undosum pontem, pelagus qui iungit utrumque.
Quam summam ut valeant fossam contingere naves
cursu et perfecto in pelagus descendere rursus,
hoc facit inventum, quo non praeclarius ullum.
Sublevat hinc naves, illinc demittit in aequor
fons effusus aquae, quae est hinc demissa superne
atque inde est sensim navis subtracta carinae.
Qua ratione potest monstrum succedere tantum?
Quam tenet unda maris, fossa sinuata profunda,
navem, quae debet summum superare canalem,
excipit extremis ingens cataracta tenetque
faucibus, atque fluens paulatim sublevat unda,
quae replet immensam, qua est nunc circumdata, capsam.
Quae res terque quaterque rates iterata subinde
erigit in medias pariter summamque lacunam,
atque deinde mari reddit subtracta carinas.

Quin plures possunt una conscendere naves
et remeare simul, nimio ni corpore constent.
Tantum mens hominis potuit contendere vires.

Ecce patet tandem parvis magnisque canalis
navibus et maria inter se duo maxima iungit.
Quae radix operis tanti tantique laboris?
Gloria non agitur solum, non quaestus, honestus
ille quidem quamvis; maior sed causa profecto;
quid, nisi amor patriae, patrio poscente decore?
Cur faciant alii cuius sibi maxima prosit
utilitas et cuius honos aliis ne cedat oportet?
Qui poterant aliter studiis concurrere iunctis
tot socii populi tanta regione remoti?
Et merito gaudes tantis, America, subactis
obicibus rerum: primum sed Gallia signum
extulit, ausa sibi tantum proponere coeptum;
tu, aere potens, operi imponis suffecta coronam.

* *

Desine romanos tandem celebrare triumphos,
fama, aut romana haec celebra dignissima fama.

DE AQUAE DUCTU APULO

¶

Illud opus dicam, tantae quod causa salutis
exstitit Italiae populis, quos, solis adustos
vi saeva, exiguo solatur munere lympha.
Apuliam memoro, longe lateque patentem,
fecundam segetum, nulli ubertate secundam,
si tamen irriguis campus ditesceret undis.
Sed quam non montes superant, declivia, colles,
unde fluant pluviae, manent fontesque perennes
atque solum sitiens scatebris rivisque relaxent,
de caelo quando exoptatus deficit imber.
Arescunt herbae, demittunt culmina fruges,
culta solo misere passim prostrata fatiscunt,
unde boum pereunt, pereunt hominumque labores.
Exigit e patria duris in rebus egestas
robustos homines, cogens carissima cordis
pignora deserere, heu miseros, alioque petito

sustentare cibo vitam, si forte secundam
tum sibi tum caris valeant contingere sortem:
nec sibi fidentes semper fortuna fefellit.
At patrii squalent campi pagosque relictos
nec multi recreant pueri nec laeta iuventus;
morbus enim varius foede dominatur in agris,
deficientis aquae causa, qua re omnia sordent.
Perpetua atque senes admordet cura suorum,
a quibus amotos sit opus decedere vita.
Tantum lympha potest terram si deserit una.

Graecia non tantam studuit depellere pestem,
cum populos regeret tota regione patentes,
nec tu, Roma, licet tantarum perfica rerum.
Barbara quid memorem, quid regna subinde secuta?
Una eademque stetit semper natura locorum.
At non nostra tulit, parvis non inclita rebus
aetas nec paucis, tantum superesse laboris
Italiae populis, strictis iam corpus in unum.

Sed quisnam valuit tantam sibi sumere molem,
ferret ut inductas longinqui fluminis undas
per medios montes, nedum per dissita rura?
Obstat enim celsus, terram qui dividit omnem
italicam paries, altis culminibus asper,
immensum laterum tendens hinc inde volumen,
quem penetrare via numquam fuit ausa vetustas.
Iam voluit Caesar, vetuit sed perfida caedes.
At quid non valeat populi generosa voluntas?
Multa quidem fuerant multos tractata per annos,
sed nil tentatum, praeter quod scripta referrent
chartis sola; manus operi non admovet ullus.
At non cessat agens animos ad maxima virtus,
donec rem grandem sumens sibi natio tota

lege cavet, tribuens operi emolumenta statuta.
Tum vero exsultans fidit siccissima tellus
perpetuam se posse sitim depellere tandem.
Consociant vires populi, res publica summam
praegrandem praebet, curis studiisque relinquens
privatis opus, indicto certamine, tantum.
Atque dies dictus, rebus qui surgeret actis,
ne in longum traheret tantos incuria coeptus
nectareusque liquor tarde sua templa bearet.
Ingens illud opus plures conducere certant,
illecti pretio, illecti conamine grandi,
Italiae decus, Apuliae emolumenta daturo.
Herculis Antici coeunt sub nomine multi,
collatis opibus, socii, queis tradita rerum
tantarum cura est; operi sed praesidet unus,
omnia mente regens, Bombrinius impiger ille,
cui mirum quantum Genuae navalia debent.
Sufficit in tantis Liguri fidentia rebus,
sufficit atque animus durus patiensque laborum.
Noluit illud opus constare aliunde petitis
ille quidem rebus, patriae succensus amore,
noluit aere, volens Italis perfecta darentur
subsidio italico cuncta italicoque labore.
Num semper careant alienis itala coepta?
Totus aquae solido consurgit fornice ductus
apulus, immensus perpetuus ille canalis,
frigida quo Silari, quo pura immittitur unda,
quique petit totam praegrandi corpore terram.
Ast aliae series etiam, licet ore minores,
absorbent latices funduntque per omnia circum,
retibus innumeris variisque utrimque petentes
rura, domos, urbes, ipsa et duo litora ponti,

atque solum atque homines multa ratione iuvantes;
ut cor per venas diffundit sanguine vitam.

Est locus Italiae Silari de vertice dictus,
quo glomerata fluit, montes vallesque relinquens,
mille fluens rivis, decurrens mille ruinis,
mille ruens scatebris immensae copia lymphae;
effluit e saxo cuius ditissima vena,
gurgite quam faciunt pluviaeque nivesque perenni.
Praecipiti vallis cursu tum plana petentes
desiliunt rapidi spumoso vertice fluctus,
queis dives Silarus Tyrrenum currit ad aequor,
admixtus Tanagro perlabens culta Salerni.
Hunc reparare locum, tantas hic sistere lymphas
est opus, hic curas, primos hic ferre labores.
Non variare situs audent, non tangere rupes,
ne motis pereant saxis ea tanta fluenta.
Non factum semel esse sciunt ut magna perirent
flumina, si quod iter subito patuisset apertum.
At terebrare locum modicis variisque lacunis,
num stabilis subeat ratio et natura locorum,
cura est, atque locus cuncta offert apta labori.

Faucibus in primis sistit cogitque fluenta
concluditque lacu moles adversa canali,
excipit effluxas variis qui fontibus undas.
Ne vero posset contingi sordibus unda
puraque de saxis erumpens pura maneret,
diruta tecta, locum quae circumfusa corona
cingebant prava nec aquis insontibus aequa.
Et cadit illa tibi, Virgo Materque Salutis,
sacra dicata domus, tribuis quae tanta colonis,
unde salutifera vulgo dotatus habetur
fons vi, nullorum prope non medicina malorum.

Ast aedes surgit melior, meliora domorum
tecta, nec antiquam mallent reprehendere sortem.
Atque lacum pariter, dixi quem mole receptum,
materia condunt iniecta ornantque superne
floribus atque foro quae sunt aptissima ponunt:
haustus sic tegitur tantarum tantus aquarum.

Maxima, quod stupeas, non autumnalibus anni
mensibus est scatebris salientis copia lymphae,
plurimus e caelo terris cum decidit imber;
sed quarto quintoque, fere cum terra sereno
gaudet aprica polo mensesque sequentes
sole parant rapido sitientes urere campos:
tot Silaro valles pendent montesque tributa.
At quamvis gressum celeret rapidissima lympha,
non valet ante tamen Silari contingere fontem
atque lacum fluvio semper complere novello.

A Silari Capite, ut locus est cognomine dictus,
maximus orsus aquae ductus, pertingit ad ipsum,
per terras molem ducens montesque, Tarentum.
Immo multiplici longe lateque profusus
ordine ramorum, multas percurrere terras
hinc atque inde potest, multas pertingere metas,
permultos homines puro recreare liquore.
Vastus enim polypus, diversus brachia tendit,
oppida multa petens, terris seu litore sparsa,
ut vario regio lustretur tota canali
totaque frugiferae donetur munere lymphae.

Orsus enim primo laevus procurrere tractu
ductus aquae, Silari iucunda vireta relinquit
inque tuas tendit sitientes, Aufide, valles,
ausus in Adriacas oras convertere fontes,
tyrraeno avertens tantum vectigal aquarum;

ausus adire ipsos, ausus perrumpere montes
obstantes, tanto numquam molimine victus.
A Silari Capite immodico procedit hiatu
maximus hic truncus, primas qui colligit undas
ingenti e puteo partes et partit in omnes,
montes contingens caeco fodiensque labore
ex quo de Silari viridante valle recessit.
Difficiles aditus operit superatque canalis,
transversus penetrat tot qui per viscera montes.
Qui labor hac duplici ratione hinc inde subitur:
nempe caput fodiunt, fodiunt et proxima metae,
diversi subeunt latebras, se a fronte petentes,
ut tandem possint progressi iungere dextras.
Ut tamen hinc longus tractus brevietur et inde,
altos demittunt puteos qua parte sinuntur,
ex quibus insistant operi, tam tramite certo,
quam si opus occurrens operi sub luce subiret.
Partibus ex quatuor quatuor sua tela cohortes
immittunt operi, removent prostrata, lacessunt
si qui duri obices obstent noceantque lacunae.

Quid quod, dum subeunt homines instantque labori,
panditur interdum subito exalatque mephitis,
quae miseros cogat vel mortis adire periclum?
Saepe tonat vapor, incendens totum aëra flammis
involvensque viros; quorum spes nulla salutis,
ni socii subeant alacres animisque parati
seu miseris prohibere necem, seu iungere sortem.

Cetera pars magni est ita producta canalis,
ut terram semper subeat metaeque propinquet
nullis visa oculis, radiis non percita solis.
Non obices metuit, superat; non limite parvo
arcubus insistens valles et flumina tranat.

Quo propius metae cursu satiata propinquat,
corpus eo magis imminuit tenuatque liquorem.
Ni solidum subeunt tractus, tellure teguntur,
si tamen elatos non ducunt fornice pontes.
Ducuntur fossae stabili fundamine firmae,
extruitur paries, fulcris hinc inde retentus
et formas varias vario sortitus ab agri,
quem fodit, ingenio, cuius vel viscera montis
immissus penetrat: rectus, vel sumit ab ovo
ille suam formam, vel commeat ore rotundo.
Fornice contegitur paries quacumque figura:
nec satis; iniectis fit non penetrabile rebus,
si quando effusus caelo demittitur imber.
Non tamen assidue subeunt obscura viarum
instant qui tractus sibi perpetuantque canalem.
Interdum moles extat superatque iacentes
campos, usque tamen caelum solemque perosa:
saxa tegunt supra, tegit et superaddita tellus
herbida, quae muris, quae lymphis arceat aestum:
unda fluit sic pura, fluit sic frigida semper.
Defluit illa suo nativo pondere ducta,
nec celerare gradus, pariter pendente canali,
nec retinere potest: puris effusa scatebris,
pura fluit iugiter, nulla permixta fluente
lympha aliunde: manet Silari mera solaque semper.

Sex magnae sociant partes formantque canalem.
Maxima prima, secat magni quae viscera montis,
quaeque fluit primae gelidae plenissima lymphae,
brachia quam tribuunt populis hinc inde minora.
Inchoat hunc primum tractum completque sequentis
improbus obscurusque labor per viscera clivi,
quem premit effluviis rapidus Finochia torrens,

iam tibi montanos devolvens, Aufide, fluctus.
Non sequitur fluvium tractus, sed dexter adhaeret
collibus atque sibi vario tentamine pandit
ipse viam, fossis superans aut arcubus ima.
Te, Tragine, petit, te, Vonchia, vosque fluenta
Atellae, longis superat quos pontibus amnes.
Avius et saltus intrat, mera lustra ferarum,
quos tamen humano conspergit semita cultu,
quae caecum semper comitans, via facta, canalem,
ipsa aperit pedibus perfossi viscera montis.
Vulturis extinctos ignes stagnumque relinquens
dexter abit, duros subiens vincensque labores.
Obstat enim fossis, complet sistitque lacunas
molle solum, putridum, numquam tractabile ferro,
exhaustum numquam, scatebris manantibus imis
semper aquis, subeunt variae quae viscera terrae.
Hic Poeni insidias sensit moriturus aditque
Marcellus, docuit primus qui vincere Poenum,
vulnere quem claro vidisti, Bantia, caesum.
Postremus sequitur, primae confinia partis,
ductus aquae, petitur Flacci quo terra poetae,
qua venibat aqua, ut dixit, vilissima rerum:
quam tamen haud dubitas effari, Pindare, summam.
Incipit hinc magno decedere prima canali
propago, simili pergens procedere pacto,
protendens pariter artus, ast ore minores.
Aufidus hac retro petitur, lata arva petuntur
Apuliae primae, petitur Garganus et ipse.
Namque suos patulos emittit dicita ramos,
ut regio irriguo laetetur munere tota.
Hic flectens tractus Venusinos praeterit agros,
praeterit atque locum, quem tu, Conrade, veneno

absumptus fratris, debebas reddere notum,
nomine quem proprio populi dixere Laveilum.
Ipse ferox siculam iuvenili fronte coronam
dum geris atque paras etiam defendere ferro,
quam fratri abstuleras, vitam tibi frater ademit.
Progeniem saevam, saevo de sanguine cretam,
atque tuo saeve mox, Conradine, cruore
exstinctam, culpis iuvenis devote parentum.
Et petitur dextra perlongo Foggia ramo,
Foggia, quae cultis ridet spatiosa viretis
planitie in media, laetis circumdata campis,
Luceriam laeva tangit propagine ramus,
quae Pontî meminit, meminit Cursoris et arma.
Te quoque pertingit, minimo iam fluxa canali,
unda, lacu Adriaco contermina, Lesina, ponto.
Invidia gemuit tanto privata Ravenna
munere, quae pariter venam sitiebat aquarum.
Atque sitim potuit tandem restinguere et ipsa
cum Fasces italam valuere extollere sortem.
Altera iam primae magni coniuncta canali
pars sequitur, trunco paulo deducta minore.
Ingreditur terram pariter pariterque lacunas
effodit exterior, valles et flumina tranat
pontibus insistens, donec praerupta ruina
absorbet laticem, saltu motuque futurus
aptior in summos ipsos escendere colles.
Namque sinistrorsus rivis ditata duobus
in pagos undam multos inducit et urbes
multaque fecundat dispersis arva colonis.
Qui ramus longo transcurrit tramite valles,
Aufidus immissis quarum perfunditur undis,
is Canusina petit tecta, illam et radit arenam,

Quod si conveniat sicubi exaurire liquorem,
qualibet ex causa, vacuum et penetrare canalem,
effundunt latices claudunt et vectibus ora.
Sunt multa electro voces ducentia fila,
nec minus automatis traduntur signa ministris.
Et iuvat interdum lympham deducere saltu,
vi cuius vires rapidae generentur et artes.
Quod si nulla datur ratio, qua viribus illis
utile profluvium pateat, tum fistula vires
excipit immodicas ditata foramine multo
fluminis et tumidi conceptas temperat iras,
immittens latices puteo reddensque quieti.
Exilit unda furens saltu, collisa sed undis,
effrenas vires spumans amittit in undis.

Quid si terrifico tellus concussa tremore
excutiat dorsum subito montesque resultent:
an verear ne illa laedatur clade canalis?
Haud licet effari; vanum tamen omen habetur.
Quae via nunc varias percurrit ferrea terras,
non raro penetrat transfosso tramite montes,
sed numquam tremitus longae sensere cavernae:
scilicet innumeras rimas cladesque dedissent.
Ipso forte suo commisso fornice fultae,
aut non participant, aut vim motusque secundant.

* * *

Non operi tanto certet contendere Roma
ipsa suis illis olim praegrandibus ausis,
queis se perpetuis ditavit sedula lymphis.
Nec tu, quae, pollens opibus, magnis, America,
molibus instructis, audes suspendere lymphas
montibus, ut valeas urbem ditescere magnam.
Rana bovi certet; certet contendere nanus
si valeat membris secum conferre gigantem.

AD POLUM VERSUS

¶

Quo studio gelido consistere vertice terrae
gestierint homines, vitae discrimine spreto,
quosque maris tulerint, terrae caelique labores
dicere quis valeat merita et redimire corona
non minus evictos, quam qui fulsere triumphis?
Sed iuvat eniti: pressus si pondere, cedam,
at gradui insistens proprio propriisque salebris.

Ex quo coeperunt fieri primordia rerum,
non hominis pedibus tactus, non lumine visus
terrarum vertex glacie nivibusque iacebat
contectus, summa captus mersusque quiete,
si tamen aura silet, pontus nimbique residunt.
Tempora praetereunt nec longa silentia cedunt.
Quem dicam primum tantae studuisse palaestrae,
extremum ut vellet terrae contingere finem?

Non vetus ille quidem: tantarum nulla cupido
tunc animis rerum, cum notio nulla subibat.
Maxima pars terrae, spatiis summota marinis,
vel nimiis producta plagis, obscura iacebat;
aequore vel verso longe iateque patescens
sub pedibusque iacens hominis te, magne Columbe,
spectabat patiens, te, magne Columbe, vocabat.
Quae simul est homini tellus patefacta stupenti,
nempe novus mundus, subiit generosa cupido
et terras reperire novas et noscere pontum.
Exitus inflammat mentes animosque fatigat
spes laudis pretiique, nec ulla pericula tardant
audaces homines: quae non tentata relinquunt?
Succedunt aliis alii, via panditur omnis,
omnes rimantur pelagi terraeque recessus;
et iam nulla manet nigrescens ultima Thule
totus et immensus ratibus pervaditur orbis.

Sed quantum supra, quantum praetenditur infra
ignotae spatii terrae pelagique refusi
versus utrumque polum! At glacies dominatur ubique,
quae naves prohibet duros perrumpere campos;
sive gelu subito pelagus crispatur et acri
stringuntur naves morsu pereuntque refractae.
Et quid si stridat ventis furiata procella?
Sed nil iam valeat conceptus sistere motus:
si glacies prohibet, glacies tranabitur ipsa;
vincentur valida si quae sunt nave pericla.

Aequora primus adis glacie concreta, Liacov,
litora Siberiae traheis canibusque relinquens,
cuius prima refert exsurgens insula nomen.
Multos ille videt ripae adventare tarantos
per glaciem, atque statim terras concludit adesse,

unde greges fugiant stomacho potiora petentes.
Quid vetet audacem tantam sibi ponere metam,
illas ut primus retegat? Sunt apta parata,
iuncta canum traheis est vis rapidissima cursu.
Insula prima patet, plures quam pone sequuntur,
Siberia unde Nova ex illis effloruit undis.
Ulterius vetuit tenuis procedere strata
in ponto glacies, fragilis sub pondere tanto.
Quo facto potuit mentes res falsa subire,
scilicet inde rates pelago succedere aperto
posse polo, glaciem aut saltem proscindere mollem.
Posterius patuit glaciem praebere canales
non paucos, varios forma varieque patentes,
qua gelido nondum strato durata profundo
sustinet haud traheas et sistere cogit euntes.
Noscere quod signis etiam didicere periti.
Cum rigida est glacies, nitet albo lumine caelum;
aequora si vero nondum glaciata patescunt,
caeruleum caelum servat fuscumque colorem,
atque exinde patet quantum mare distet apertum.
Litora Siberiae pariter Fernande relinquis
Wrangel, alta petens glacie, pariterque requiris
quae tibi sunt nivibus redimita cacumina dicta.
Nec minus haec glacies rapidis famulata tarandis
praebet iter solidum, iussis valedicere victu
iam modico, vel iam nivibus glacieque sepulto.
"Terra patescit, ait, sunt et certissima signa
hanc habitare homines, mihi sunt si vera relata.
Cetus enim, vitam telis deponere adactus,
vulnera non solito regionis more gerebat,
cuius ad extremam perfossus venerat oram „.
Praevisam tamen haud potuit contingere terram

impiger ille, canes patrio quem more trahebant,
quatuor instituens optata ad litora cursus.
Non etenim glacies homines, non pondera rerum
sustinet usque tenax, cedit sed pressa prementi:
vel quod non alte frigus duraverat aequor,
vel quod iam dictos traheae tenuere canales.
Quin immo gelidis vitam posuisset in undis,
ni foret indomitae fidei commissa caninae.
Qui rem conficient, multo post tempore, terras,
ne vereare, tuo memores de nomine dicent.
Nec minus ex alia subeuntur parte labores,
unde tui pateant fines, America, sinusque,
aequora nec lateant septem subiecta trioni:
litora fracta mari, fluctu sinuata profundo.
Primus hyperboreos ausus contemnere fluctus
italus, incertum Venetusne Ligurne, Cabotus.
Ille Novam Terram reperit reperitque Labrador,
quo, si vera ferunt, olim vexere carinae
Normannos, solitos pelagi insultare procellis.
Cortereal terras Gasper radebat easdem,
litora cum reperit permagnis consita pinis
nec deserta casis, piscis quas pellis obibat,
non dubia, ut par est, manuum monumenta virorum;
nec retinet cursum glacie nisi nave retenta.
Post annum repetens audax pelagusque fretumque,
olim quod claro dicent de nomine Davis,
cum sociis vitam infelix amisit in undis.
Vel glaciem nulla potuit perrumpere parte
atque fame periit, pariter periere sodales;
vel glacies ipsam valuit perrumpere navem
et miseros, tantum meritos, prohibere reverti.
Nec Michael frater potuit succurrere fratri,

nec remeare, pio miser in conamine victus.
Non ideo cessant fortes contendere nautae,
ordine qui magno nitidam subiere palaestram,
quique modis miris tantos retulere triumphos.
Ast heu! quae clades hominum, quot funera rerum!
Coepta tamen coeptis subeunt atque omnia tentat
ferreus ille vigor, nullo retraente labore,
ipsius et vitae nullo prohibente periclo.

Sed non hoc petitur vertex certamine terrae:
vexabant animos aliae illo tempore curae,
corpora vexabant, immani obiecta labori,
horribili devota neci, nisi cederet ausus.
Si valeant pelagus pelago contingere tentant
constantes studiis, pollentes aere Britanni,
Pacifico ut possit succedere atlantica navis
Oceano, fluctu quae sit subvecta boreo;
atque tuas adeant praegrandes, India, fama
divitias, iam quando aliis aliunde petuntur.
Vana quidem, fateor, rem si spectatur in ipsam:
quid via namque iuvet tantis subiecta periclis,
navis ut una meet, pereant sed mille carinae?
Res tamen incepta et multo producta labore est,
nec minimo fructu: tantum perquiritur orbis,
aequora tanta patent, tanti patuere recessus.
Transitus haud unus, plures hinc inde patebant;
sed reperire vias tanta et superare pericla,
hoc opus, hic labor: insistunt dum fortiter illi,
et stimulos addunt animis et corda lacessunt
ostenduntque poli qua sint ratione petendi.

Primus adest Davis, coeptis clarissimus illis,
queis proprio inventas signavit nomine fauces.
Quas audax superans pelagus metitur inausum,

et pelago et terris facturus nomina, Baffin.
Id mare conclusum terris est undique visum,
immerito; nec enim frustra freta lata patescunt.
Nec pauci subiere viri, quos inclita fama
ad caelum tollit, memorant teraeque sinusque.
Quos inter rutilat, moesto sed lumine, Franklin;
infelix Franklin, misera qui morte peremptus.
Dum legit ille sinus omnes, dum quaeritat audax
et maria et terras, pontum contingere ponto
tramite si valeat patulo per seque reperto,
infectis periit rebus, periere sodales.
Non pauci quaerunt, misit quos optima coniux
aere suo, pariter quos et misere Britanni,
noscere si saltem valeant (spes omnis adempta
est postquam auxilio miseris se posse venire),
quo casu absumpti pelagi, quo funere dempti.
Corpora sunt tandem nivibus contecta reperta.
Arida sparsa iacent, longo post tempore visa,
ossa solo, proprium quae non sortita sepulcrum.
Corpora namque feris praedam superesse marinis
non patitur pietas sociis in corde superstes,
donec eos animique sinunt viresque secundant;
viribus at cessant cum destituuntur et ipsi.
Signat iter reditus, gelida e regione negati
tot tantisque viris, sola heu! nota lugubris illa.
Quam longas tenuere vias, quam fortiter ausi
et ratibus remeare salum et percurrere terras,
postquam sunt Terror naves Erebusque relictae,
quas ambit nodis glacies ac detinet artis
iam plures annos, praebet nec signa levandi.
At non victa fames, tantae mera causa ruinae,
si tamen est aliquid fas coniectare scienti.

Sed dum multiplici perquirunt tramite nautae
munere tam valide functos misereque peremptos,
aequoris innumeros rimantur nave recessus
et vix iam neglegunt aditum reperire boreum,
transitus inventus pelagus qui iungit utrumque,
quo mare Pacificum ponto miscetur Atlantis:
atque ita, quod curae haud potuere, est forte repertum.
Repperit atque polum Ross qui magneticus audit,
lamina cum tandem visa est consistere recta,
pixide quae latitans borealia flamina spectat.
Is procul a summo secedit vertice terrae,
et mirum quantum invento plausere periti.

Hinc animos movet ipse polus, iam coeptus adiri
impense est; hominis studiis dignissima meta.
Namque polus petitur non ut sistatur in illo,
aut ut gloriola quisquam se iactet inani,
sed quae sint circa, terrae sive aequora, tandem
ut pateant, hominique datum sit noscere num qui
forte homines summo lateant in vertice terrae,
atque inde his liceat reliquos cognoscere fratres
legibus et Christi doctis sperare salutem.
Sed quae dura manent audentes tanta pericla!
Illis sunt pelagis montes, non litora circum,
aequore sed patulo longe lateque vagantes
molibus immensis; pestis teterrima nautis.
Namque valent, ventis acti, consurgere contra,
mergere ponto homines fractas et spargere naves.
Unda facit concreta gelu ventisque citata,
ipsa vel immittit pelago sua proxima tellus,
insula seu rupes illi contermina ponto.
Nempe gelu campos tectos montesve perenni
tota gerens, gliscens demittit pondus in undas.

Quod si forte cui mirum obscurumque videtur,
audi qua dicunt fieri id ratione periti.
Insula tota gelu totum contecta per annum
excrescit nivibus, durant quas frigora passim,
in glaciem redigunt, cogunt excedere terra.
Urget enim declive solum lento succedere gressu
impellitque mari terrae quod finibus exit.
Incumbit cumulus pelago, vi fultus eadem,
qua natat immersum spatiosum corpus in undis.
Sed pergens semper nivium succrescere mole
comprimit atque maris contendit adire profundum.
In cassum; nec enim patitur vis illa subire,
pondere quae privans aliquo submersa liquore
corpora quaeque suo, prohibet contingere fundum
et mediis aequata tenet vel sublevat undis.
Elevat haec fragilem cumulum rumpitque levando:
nam premit hinc cumulum vis acrior, elevat inde.
Altisoni fiunt crepitus cumulumque revulsum
convolvunt fluctus vastaque voragine sorbent,
at fundo subito reddunt elatumque flagellant.
Tum iusto librata situ mare navigat altum
immanis moles, cunctis quae pareat undis;
inferne est fluviis, ventis agitata superne.
Navibus hi cumuli extremae sunt causa ruinae;
quod mirum quantum nosti, Titania navis,
quam subito cumulus mediis in fluctibus ursit
submersitque mari, rebusque virisque sepultis.
Plurima sic fiunt pelagus quae monstra pererrant,
e glacie montes, nulla qui lege vagantur
praecipitique ruunt incussas pondere naves.
Mille petunt formas, ipsis spectacula nautis
grata quidem, exanimet miseros ni mortis imago.

Pyramides dicas, obeliscos, plana reclina:
Vertumnum credas magicas renovare figuras.
Faucibus angustis membris glomerantur iniquis,
hinc atque inde ruunt, claudunt rursusque recludunt
forte viam nautis, numquam minuente periclo,
cum sibi praecipue permagnis molibus instant.
Nec metuenda minus pelago labuntur aperto
monstra creata gelu, nullo solvenda calore
nec peritura, nisi inter se collisa terantur.
Saepe tamen frangit sabulum scopulusque silexque,
si secum tentent fragiles committere vires.
Dat sabulo aut silici glacies collisa repente
altisonos crepitus, scandunt ad sidera micae,
ad solis radios ducunt quae mille colores
quaeque maris saliunt immensa per aequora lapsae.
Audacibus nautis, numquam peiora secutis,
aequora transgressis, vario quae limite fines
terrarum claudunt, en quoquoversus apertus
panditur oceanus, glacies quem contegit omnem,
propatulum quondam mare navigerumque putatum.
Perpetua at glacies nusquam non navibus haeret,
nusquam non canibus traheas ducentibus obstat.
Quid quod navigiis saepe est ea causa ruinae?
Confregit navem glacies complexa Polarem,
qua vectus potuit celsam contingere metam
Hall, sed non valuit navi superesse refractae,
ipse sibi, infelix, ausus consciscere mortem.
Quid faciant socii, sola in regione relicti,
in glacie media, paucis superantibus escis?
Despondent animos minime vitamque tuentur
mordicus et fractis pergunt confidere rebus.
Mobilis est glacies, pelago qua fulta vagatur

naufraga tota cohors, medium tenet incita solis
cursum, spesque viros minime solatur inanis,
viginti numero, numero si dempseris unum.
Quos inter vagit, sorti sociatus iniquae,
infans, cui nondum subrisit tertia luna.
Omnibus una salus, vitulos captare marinos,
qui victum praestent; et sunt duo forte periti.
Sex errant menses, cunctis ludibria ventis,
fluminibus cunctis, subeunt quae concita pontum
quaeque vehunt illos glaciales aequore campos.
Navis adest tandem, miseris spe certa salutis,
proxima iam quando spectatur terra Labrador.

Qua vero glacies procurrit tramite plano
ac levi, infestant superaddita strata nivosa,
mollia quae fiunt aestivo ac putrida sole.
Tendit adire canis, traheas qui ducit onustas,
sed tendit frustra, traheis umore retentis.
Sic nituntur equi contentis viribus olim
eliciuntque petra ferratis unguibus ignem.
Nec iuvat eniti; praestat miracula rerum
tunc oculis spectare vagis animosque levare.
Ecce geometricis plana exornata figuris
ordine perfecto, pario ceu marmore ductis.
Gemmarum facies, fungi florumque corollae,
pyramidum series: iuncorum exstare paludem
dixeris et variis consurgere monstra theatris;
dixeris immensis plantis emergere silvam,
dixeris et celsis consurgere templa columnis.

Securus numquam caelo confide sereno,
nauta, mari placido: numquam non dira procella
instat, quae subitis spargat loca vasta ruinis.
Sint semper praevisa tibi semperque parata

omnia, quae valeant tantis obstare periclis.
Noctu praecipue vis est metuenda procellae,
cum prohibent tenebrae quidquam contendere contra.
Constrictam pergit glacies urgere carinam,
comprimit, exagitat, tendit pervadere fractam.
Quod si non valeat tantas inferre ruinas,
at violens instat: videas tum surgere navem
paulatim et glacie tandem consistere summa
innixam lateri, nulla ratione levandam,
ni resoluta sua glacies in sede reponat:
tum summota quidem clades, non dempta pericla.
Heu monstrum glacies glacie collisa tremendum!
Dixeris, infractis terrae caelique columnis,
omnia misceri vastis subitisque ruinis.
Auditur longe sonitus, velut acta tremore
sit terra; ingeminat circum, fit proximus: omnis
ille silens tonitru glacialis personat orbis.
Maxima spectantur rerum confligere monstra;
rumpuntur cumuli, magni glomerantur acervi,
consurgunt tumidi, pendent iuga plena minarum.
Quid faciant trepidi tanto in discrimine nautae?
Ast animos numquam sint despondere parati.
Non timidos iubeam tantis se offerre periclis,
viribus aut modicis: tales manet ultima pestis.

Quis nebulam valeat pelagi monstrare polarem?
Caeruleum velans caeli pontique colorem
tenditur immensum, pervadens omnia circum,
omnibus et spissa impendens caligine rebus,
umectat, penetrat, permanat corpore toto,
perque dies solidos panso velamine perstat.
Taedia non possunt nautae perferre gravati,
ni fortes studeant animi contendere vires.

Quod si perpetua densantur nocte tenebrae,
cum menses totos ponto nox incubat atra
denegat atque suos candentes luna nitores,
tum vero quidquam manibus tractabile fiunt.
Sidera sola micant, gelido labentia caelo,
quae tenebras oculis squalenti lumine pandunt,
si tamen haud velant obductum nubila caelum.
Unica lux, solis subter quae est fusa nitore,
mille micat radiis, obducit mille colores,
mille refert formas, aurora vocata borea.
Illis si radiis glacies tangatur obliquis,
spicula ubi praebet rapidam rumpentia lucem,
prospectus fiunt oculis animisque stupendi.
Non tamen illa frequens solvit caligine pontum.

Est glacies, operit pelagus quae glutinis instar,
durescens numquam, fulgens crystallina numquam,
quam pelagi dixit borealis navita pellem.
Fluctibus insultans instrati more tapetis,
non naves prohibet primo perrumpere nisu,
at mersas retinet, non ipsa aestate remittens,
viscida ni studeant nautae disrumpere vincla.
Quin ipsum pelagus, radit quod litora, pigrum,
quod stupeas, factum, naves gravitate retardat
interdum subito, nec qua ratione silendum.
Dulcis aqua, effundunt vastae quam flumina terrae,
hoc facit, instanti fluctu perfusa marino,
plurima quem rumpit violens et cedere cogit.
Sic dum navigii, radit quod litora, ponti
ima carina petit, sectantur latera fluctus
undantes superi, salientes undique circum,
si valeant tumidi cunctantes sistere proras.
Aequora dixerunt experti mortua nautae.

Navibus haec obstant varie metuenda pericla.
Vertice sed numquam poterit consistere terrae
navis, vel saltem summae succedere metae:
haec fuit invicti constans sententia Parry,
abfuit a summo minimum qui vertice terrae
temporibus primis, frustra nec coepta peregit.
Navibus is primus docuit sibi pone relictis
perpetua glacie canibus traheisque petendos
esse polos, aliter homines contendere frustra.
Nondum quaerebant illos contingere caelo.
Fama ferebat enim glaciem discurrere planam,
si tamen immensam, facilem et succedere gressum;
ast aliter patuit summam procedere rerum.
Producit glacies varios densissima campos,
qui si diversi ventis fluviisque feruntur,
inter se latos pergunt aperire canales,
per quos lympha fluit, glacie vel tecta recenti
sustinet haud traheas hominem et consistere cogit,
ni ratium traheae valeant et munere fungi:
pondera tum remis hominesque canesque vehuntur.
Si vero glacies glaciem contingit et urget,
tum surgunt moles, longo velut aggere vasta
aequora quae sinuant altis solidisque salebris.
Nam glacies glaciei pressa hinc inde resultat
mobilis atque valet muros consurgere in altos.
Hic sistunt traheae, ferro perrumpere tendunt
hic homines, manibus traheas hic ferre laborant:
qua spe se metam contingere posse supremam,
quae tantum distet tanta et molimina poscat?
Non ideo cessant homines impendere vires.
Succedit navis quantum succedere metae
tuta potest; glacie tum vel detenta residit,

proximis vel terris aliqua in statione quiescit;
hinc homines pergunt canibus traheisque subire.
Sed qui sunt nisi tanta fulgere palaestra
primi, si Nansen credas, non navibus aptis
nec satis instructi rebus subiere laborem:
festini fecere nimis nimiumque soluti.
Forte quidem facinus, multa sed clade dolendum.
Non sic ille heros, curvum qui latus utrumque
compingit navi, puppem proramque rotundat,
nec patitur quidquam glacie stringente refringi,
efficiens cedat morsus et vitet acerbos
rumpere si glaciem nequeat, si sistere debet.
Praevalidam navem, sicco quam robore quercus
italicae firmant, parat atque in utrumque paratam,
vincere seu glaciem, glacie seu sidere summa,
si premat, insistens circum, vis fortior ulla.
Non aliter fugitat gliscens anguilla tenentem.
Protegitur temo curvis helicaeque tigillis,
ne glacies laedat: possunt quae membra revelli,
arte quidem mira, tuta atque in nave locari
si quid ab immodica timeatur forte procella.
Nulla deest homines quae sit res apta iuvare.

Navis erat nulla certa in statione tenenda,
ipsa sed glacie, qua esset constricta, ferenda,
(flumine namque suo glacies ductatur et ipsa),
utque soluta domum, socios oblita, reverti.
Sic statuit Nansen, ductus qui laudis amore,
fortassis nimio, sprevit discrimina vitae.
Sic altum egit iter navis, sic aspera ponti
tuta tulit, multis quamvis agitata procellis,
sic rediit, reducem potuitque revisere Nansen.
Ille maris spretor, glaciali compede vincta

nave relicta, ut qui certus contingere metam,
noscere vel saltem quae sint contermina metae,
solo cum socio tantum audet adire periclum.
Vana ut fama refert, terrarum in vertice summo
insula laeta iacet, pelago circumdata glauco,
quam cantus avium faciunt, quam florida prata
dulce solum pacis, vetito sed limine cunctis.
Defendunt rabidae circum sua regna procellae
atque vetant homines illi succedere ponto,
vel cogunt miseram audaces occumbere mortem;
sed non illa quidem tangit mera fabula Nansen.
Uno cum socio, cepit fiducia tanta,
it canibus tractus traheisque, it rebus opimus,
quae valeant operi vitae et prodesse duorum.
Non socii expectant trepidi, non nave morantur
dum redeant; glacie est canibus traheisque petendus
omnino reditus, partem in quamcumque futurus.
Quid prohibere queat summo consistere tandem
vertice sic terrae, simili et ratione reverti?
Quidve moretur iter, glacies si praebeat ullam
perpetuamque viam traheis canibusque virisque?
Quod si contingat patulam tranare lacunam,
ipsum vel pelagus, pateat quod forte supremum,
tum properare rates, ventis tum pandere vela
expediet, traheis ad id aptis atque paratis.
Sed superare globos, tot sed perrumpere valla
non vis usque potest hominum, non membra labore
debilitata canum. Glacies si strata pateret,
constiterat terrae supremo in vertice Nansen.
Processit quantum nemo processerat ante,
nec nisi cum multo rediit discrimine vitae.

Ipse malos memorat duratos usque labores,
ipse canes penitus desertos viribus actos,
pondere quos traheae, glacies quos aspera frangit,
nec reficit tenuis semperque malignior esca.
Non renuunt miseri, fusti et plectuntur inulti.
Unica spes homini tanto in discrimine rerum,
quae te tarda manent, canis, aut quae proxima fata?
Heu! pereunt ferro qui non periere labore.
Ingenti pretio multi studioque parantur,
nec facile est tantis aptos conquirere rebus.
Non omnes similes, non virtus omnibus una.
Optima progenies, suboles rapidissima cursu,
quae visa ore lupo similis similisque latratu.
Cum redeunt homines, sunt postquam summa secuti,
rebus consumptis, stomachis cum deficit esca,
pondus tum miseri incipiunt damnumque videri,
tumque canes canibus praebent sua membra cibanda.
Esuriens quamvis, artus depascere fratris
hic atque ille negat, potius moriturus et ipse.
Quod si summa fames adigit mordere cadaver,
at gelidos tantum committunt dentibus artus.
Quid non haec homines doceant animalia bruta?

Cagni consimili Nansen ratione secutus,
si reditum ad navem excipias sociosque relictos,
audaces renovat terrae ad confinia cursus,
principis auspiciis, ardens cui pectore virtus,
quique suis sese sociat partitque labores,
regis progenies, clara de stirpe Sabauda.
Non tamen ipse potest metam tentare supremam,
adflictus duro casu invitusque retentus.
Dum traheis aptatque canes cursuque fatigat,
ut simul ante probet validos, simul ipse probetur,

illa iam in terra, statuit qua sistere navem,
en subitis pressus tenebris de tramite flectit
imprudens, collis nec per declivia tractus
praecipitem potuit furiam retinere caninam,
lumine qui viso rapidi decurrere pergunt.
Excepit pelagi glacies durissima saltu,
artubus incolumem, digitis sed frigore laesum;
nam manicis ruptis, digitos ea frigora rumpunt,
nec valet invalidus reliquis insistere coeptis.
Quid digitis faciat laesis in rebus iniquis?
Non soli ipse sibi caveat constanter oportet,
audeat extremos illos qui ferre labores,
omni sed valeat socios ratione iuvare.
Teque proinde sibi tanto suffecit honori,
Cagni, posse ratus, sibi quod fortuna negasset,
te dare perfectum optatam et contingere metam.
Si non contingis, metae at succedere certe
proximus ipse vales patriam et redimire corona.

Non ille instituit socio comitatus ab uno
tanta subire ferox, tot conflictare periclis:
quid si forte aliquid damni patiatur utervis?
Is comites adhibet multos sociatque labori,
sola sibi et paucis metae suprema relinquens.
Sed non, infandum, reditus datur omnibus unus
sospitibus. Qui te casus, miserande Querini,
sustulit indignus socios et perdidit omnes?
Iussus enim navem sociosque revisere primus,
in reditu periit, periere hominesque canesque,
corpora nec valuere usquam reperire sodales.
Belua non rapuit, candens quae dicitur ursus,
quaeque mari gelido longe lateque vagatur:
illa manus potius sensisset spicula firmae

membraque frustatim canibus lanianda dedisset
pinguibus atque extis hominesque canesque iuvasset.
Grandia nec ponti cete, teterrima quamvis,
sed quae praecipiti merguntur gurgite saltu,
dum glacie in summa captant tranquilla quietem,
experrecta statim videant si tela ferentes.
Vos pelagus rapuit, glacie sub pondere rupta,
ni fallor, subito crepitu, subitoque revincta,
reddere nec pontus potuit ceu marmore clausos.
Mille viae mortis pelago, sunt mille pericla.
In cassum trepidans deserto in litore princeps
expectat reditum certo post tempore vestrum,
in cassum reliqui; glacies silet aequore toto.
Nec minus indoluit, potuit qui primus adire
sospes cum sociis navem comitesque Cavalli.
Quid memorem Cagni, rediens qui munere functo
immodico sensit suffusum angore triumphum?
Gloria non illum tanto quaesita labore,
non socios relevat: quid enim de vertice terrae,
quid rediisse valet, tot si periere sodales?

Cagni sed merito nemo non tollat honore,
qui minimum a summo degressus vertice terrae
vix non optatum potuit celebrare triumphum.
Quid Peary memorem, cui, si sunt vera relata,
(ipse refert, dubiis sed sunt narrata recepta)
tam felix coeptum, facilis victoria cessit?
Non semel instituit cunctos superare priores
impiger hic heros, numquam non limite moto,
numquam non terris magnis parvisve repertis.
Quid dicam dubitans? Valuit contingere metam
optatam Peary? patrium defigere terrae
vertice vexillum? Valeant, America, periti

rem liquidam facere et merito te cingere serto,
quo potuit tantam natus redimire parentem.
Sed non iam traheis homines canibusque laborant
rursus adire polum, porro sic vadere quando
non est fas homini, aut saltem non esse videtur.
Quid faciant animos non despondere parati
audaces homines, ullis nec cedere rebus?
Cedere non virtus novit, non sistere gressum.
Horrida si glacies prohibet superare columnas
herculeas illas, caelum patet: ibimus illac,
Daedalus ut dixit Cretam cum linquere vellet.
Et iam sunt ausi immensum tentare volatum
non pauci, postquam est progressa ars illa volandi
tantum, nec caelo quae sint obstacula novit
iam metuenda sibi; nondum sed sorte secunda.
Cederet an melius spes, quam refoveret Amundsen,
dicere quis poterat, quamvis foret ille peritus?
Is iam, fama refert, potuit consistere victor,
heu passus quanta! australi illo in vertice terrae,
qui mirum quantum boreali a vertice differt.
Hic, dum terra suum tendit contingere culmen,
circumit, insistit, longo non limite spectat
navibus atque locum tuta in statione ministrat;
illic sola viget, glacie durata perenni,
unda maris totum longe lateque per orbem,
rarae quam spargunt immensa per aequora terrae.
Africa namque fugit, fugiunt America plagaeque
Australes omnes, statio nulla unde carinis.
Is tamen ausus opus, nec eum spes magna fefellit.
Non tamen obtinuit parili clarere triumpho
vertice consistens primus celeberque boreo
infelix heros: vitam generosus in ausu

amisit magno, miseris dum ferre salutem
conatur volitans, incerta sorte peremptus.
Omnibus est nisus palmam contendere Wilkins,
primus qui totam volitans est mensus Alaskam,
atque polum potuit tandem contingere primus.
Ausus eras volitans tantum praevertere cursum
tu, Byrd, qui pariter nulli velis esse secundus.
Tantus amor patrium detecta figere terra
vexillum atque decus tantum sibi sumere primo.

At nova iam dudum surgunt miracula Romae,
aethere quae vere dicas volitantia cete.
Scilicet immensus follis, cui navis inhaeret
pluribus apta viris centumque aptissima rebus.
Protegit illa suos occludens frigore nautas,
nec tamen hos prohibet circum spectare fenestris.
Elevat hunc follem vis insufflata vaporis,
pondere cum toto, caelo et committit aperto.
Machina summa petens helicis secat aethera bombo
atque gubernaclis partem in quamcumque movetur.
Et valet e caelo facili descendere pacto,
sive mare est liquidum, glacies seu dura patescit.
Demissus retinet follem de vertice saccus,
qui tactis impletur aquis et pondere sistit;
praecipiti casu glaciem sive ancora rumpit,
dentibus et pansis firme solidatur et haeret
atque homines patitur tenta descendere fune:
tum trochleis lorisque solo demittitur ales.
Huic America studet, studet et Norvegia monstro,
sed datur Italiae corpus componere tantum.
Itala namque sibi suscepit natio munus
viribus ingeniis, Italos comitatur Amundsen,
utpote qui pelagus callet terrasque polares.

Nobile quos inter primus supereminet omnes,
ille cui mirum quantum nova machina debet,
quique polum versus navem cursumque gubernat
aëreum, subiens immensa per aequora caelum.
Quem simul et socios votis comitatur euntes
ipse Pius, Petri mundum qui sede gubernat,
omnia ab aeterno praefatus Numine fausta.
Astat et in puppi caeli quae facta Patrona
est nautis Virgo, lauri de nomine dicta.
Sed quae meta nitet? volitans quid machina tendit?
Scilicet inquirunt num quae sint inter Alaskam
atque polum terrae, cogant quae flumina ponti,
ut docti reputant, huc illuc vertere cursum,
quaeque queant tenebras aliis discutere rebus.
Te, Italiam linquens, primam petit, Anglia, "Norge„
(tali quippe novum dixerunt nomine monstrum)
alta tenens caeli. Spectat Scandinava tellus,
omnia vincentem spectat Moscovia follem,
unde petit tandem postremae litora terrae.
Iamque tenet gelidos fatalis machina fines,
aequora certa secans, rapide metaeque propinquat.
Ecce polum tandem volitans supereminet ipsum,
inspicit, inquirit, nulla non parte pererrat.
Litora nulla vident, glacies dominatur ubique,
ut Byrd iam tulerat rediens de vertice terrae,
primus enim petiit metam primusque reliquit.
Vexillum patrium caelo demittere gestit
illa cohors Italum, glacie quod figitur alte
et ventis pandit varios solique colores.
Gaudia quis memoret tunc laetitiamque virorum?
Verba volant circum, miris dispersa repertis,
per quae vocales fiunt ipsae aëris undae,

nuntius et totum complet faustissimus orbem.
Nobile sicque suae transmittens oscula natae
et tangit mentes et mulcet corda parentum.
Non glacie sidit tota regione patente,
sed speculata satis quae sit natura locorum,
transvolat immensum reliquum quod tenditur aequor
machina, iam properans alia de parte reverti.
Litora nempe studet volitans contingere Alaskae,
prima novo tendens illo clarascere coepto
et pelago inverso patrios contingere fines.
Sed quis non pavit nullus cum nuntius esset
aëreae navis, cursum metita potenter
totum quae fuerat, nondum sed reddita terrae?
Nebula densa nimis, caelum spatiata per omne,
convolvit nautas oculis et lumina dempsit.
Tum nivibus coepit gelidis candescere caelum,
in glaciem subitam toto quas frigora vertunt
corpore navigii, nimio illo pondere laesi.
Ast helicis infert glacies sua maxima damna,
sistere quas cogit, cladis discrimine summae.
Mox cadit illa quidem, celeri sed percita motu
irruit in follem, rumpit panditque meatus,
effugium praebens, pendent quo cuncta, vapori.
Destitit illa ferox tandem furiare procella,
continuas quatuor quae perduraverat horas.
Non ideo captam potuit contingere terram
machina laesa statim, multis afflicta sinistris,
illata huc illuc, cunctis ludibria ventis:
vix tandem potuit caelo descendere salva.
Excepit Teller, parvus qui pagus Alaskae,
sed cuius toto sonuit tunc nomen in orbe.
Inde petit quisquam varia ratione regressum.

At renovatur opus. Rursus petit aëre caelum
Nobile cum sociis, animis rebusque refectis;
folle quidem fretus simili, at potiore priore,
ut docuit semper rerum experientia mater.
" Italiam „ dixit patrio cognomine navem
aëriam, patriis opibus patrioque labore
confectam, patrium quae sustentaret honorem.
Magna cohors sequitur, genuit quos itala tellus,
Malmgren excepto, glaciem callente polarem,
et res naturae pariter callente Behounek.
Vires sunt omnes operi conferre parati,
aerumnas omnes, omnes perferre labores.
Non volat illa cohors terrarum ut vertice sistat,
aut iterum ut verso versas petat aequore terras,
ast ut per varium varia regione volatum
aut valeat terras illic reperire novellas,
aut glaciem statuat totum pervadere pontum.
Et rem confecit, plausit cui mundus uterque,
laudibus immensis Italos ad sidera tollens.
Iactum vexillum sola in regione colores
expandit patrios iterum, dum vocibus altis
intonat Italiae nomen. Demittitur inde
crux etiam in glaciem, Romae est quae tradita nautis
Pontificis manibus summi rituque sacrata,
panderet ut populis Christus sua brachia cunctis,
praesentes omnes devota cui oscula figunt.
Dixerat ille crucem pondus tamen esse futuram.
Dum remeat generosa cohors, dum lassa propinquat
iam navi, subita periit vastaque ruina.
Dum follis volitat ventis iactatus iniquis,
oppressus nivibus conflictatusque procellis,
pendula vix glaciem radens navicula, celso

incurrit tumulo, rupta et quassata residit.
Non certe incolumes abicit navicula nautas,
membra quidem tactos, cunctis sed vita superstes,
unum si excipias, fidum carumque Pomella,
qui vita est functus pedibus dum vincula nectit.
Quos follis retinet nautas abigitque volando,
conficit hos ignis subito flammescere visus,
cum nusquam vivi sint defunctive reperti.
Nullis illa viris rapidissima flamma pepercit,
sex numero, heu miserum! merita at fulsere corona.

Non animus patitur reliquos memorare labores,
non rerum seriem, longum et producere carmen.
Sed quis te sileat, te quis lacrimare recuset,
Malmgren infelix, glacie nivibusque relictum
in mediis solum? miserae succurrere sorti
qui tentes comitum, quibus est spes una salutis,
soli cum latitent sola in regione remoti
omnibus ignota; nulla ratione manente,
qua possint homines propria de sorte monere.
Tu pelago in primis, glacie nivibusque peritus,
suscipis in primam longinquam tendere terram,
si detur sociis aliquam conferre salutem.
Qui comites tecum tantum perferre laboris
sunt ausi, Zappi et Mariano, in utrumque parati,
seu reperire viam, seu certae occumbere morti,
incumbunt operi nivibus glacieque profecti.
Primos atque dies res est perfecta potenter;
Malmgren ast oneri cedit primusque recusat
pergere iter coeptum, reliquos perferre labores.
Se non posse sequi; sinerent se cedere sorti.
Sed renuunt comites hominem precibusque fatigant
in cassum: nulla possunt ratione movere.

Quid faciant miseri? Quae spes manet ultima cunctis
despondent si animos coepta atque infecta relinquunt?
Publica nonne salus lex debuit esse suprema?
Heu dolor ille tamen! sociumne relinquere solum
in media glacie, sola in regione futurum!
Sed quod non possunt mortali impendere vitae,
impendunt animae, numquam quam gratia Christi
induerat: doctum quae sunt adiuncta saluti
aeternae, sancto Christi baptismate tingunt.
Hunc Adalbertus ritum Mariano peregit,
cui regimen Cunei dabitur quandoque supremum.
Iuris amans, vigilans, animi cordisque paterni,
in glacie didicit quae sint incommoda vitae,
in glacie instantis quae sit praeceptio mortis,
in glacie socio morienti pandere caelum.

Quas animo aerumnas patitur, quos corde pavores
Malmgren iam solus gelida in regione relictus!
Triste subit fatum, fato et peiora futura:
frigora conficient, vivo an satiabitur ursus?
Deficit infelix; mortem quaeritque timetque.
Cum subit at carae moestissima matris imago,
tendit adire viam, socios exoptat apisci,
sed cecidit, gelidos artus et vita reliquit;
morte quidem misera, sed quam exoptarat, ademptus.

Pergunt interea comites metaeque propinquant,
sed quam iam numquam sperant se tangere posse.
Vires deficiant, restet spes nulla salutis,
ni videat fessos volitans qui nauta requirit.
Tum demum navis, glaciem quae rumpit, ademit
certae illos morti: potuit Moscovia tantum.
Quos media in glacie liquit navicula rupta,
hi potuere suas radiis transmittere voces

incolumesque omnes caelo contingere navem,
si tamen excipias fractis heu! cruribus unum,
quae Svalbard pelago, follem comitata, sedebat.

* * *

Ausibus hisce polus varie tentatus adiri
iam potuit, luctatus homo et discedere victor.
Quid restat? Statio ut surgat bene fida carinis
aëreis, longos ut possint sistere cursus
et reparare, novo iam pro certamine, vires;
atque ideo valeant orbem coniungere utrumque
perbreve per spatium tuto celerique volatu.
His opus est tellus summo quae vertice terrae
vel sit, vel saltem longe non distet ab illo.
Hanc reperire hominum valeat si industria sollers,
tot rebus ponat tandem tantisque coronam.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
6 LUG 1934
FIRENZE
1964363 P

Nihil sobstat

Cuneo, 9 Ottobre 1933.

P. NICOLAO DAMILANO S. I.
Revisore delegato.

Imprimatur

Torino, 10 Ottobre 1933.

P. GIUSEPPE PEANO S. I.
Provinciale.

Visto se ne permette la stampa.

Cuneo, 10 Ottobre 1933.

Can.° SIMONE ABBÀ
Vic. Gen.